



**R. P. Martini De Esparza Artieda, Navarri, Theologi Societ.
lesv, Cvrsvs Theologicvs**

iln decem Libros, & duos Tomos distributus, Ivxta Methodvm, Qva In
Scholis Societatis Iesv communiter traditur annis quaternis

Continens Secvndam Secvndæ, & Tertiam Partem D. Thomæ

Esparza Arteida, Martin de
Lugduni, 1666

Qvæst. LXXIII. Vtrum dentur in voluntate habitus purè reflexiui?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94839](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94839)

actum dispositum, qui est necessarius ad infusionem primæ gratiæ, permanere virtualiter, atque habitualiter, dum permaneat actualiter ipsa gratia utpotè æquivalens tali actui, eumque continens in se virtualiter, uti fufius dictum est quæst. 10. de Iustif. Ad alteram probationem dicitur habitus virtutum non habere immediatè, ac præcisè per se ipsos, vim inclinandi & determinandi voluntatè ad actus ipsorum proprios, ut alibi efficaciter comprobatum est. Vnde habitus utrunque intenzi, dummodò insint animæ independentè ab eorum exercitio, prout inesse possunt per virtutem sacramentorum, relinquunt in eodem statu, atque antea erat, pronitatem, & inclinationem voluntatis ad bonum, & malum, quantum est ex se præcisè.

Ad 4. Vltiores eiusmodi dispositiones præsertim ex parte corporis requiruntur solum ex præcepto, ut dictum est. Vnde si desint absque culpa communicantis, non propterea impediatur effectus Sacramenti vlla ex parte.



INCIPIUNT QVÆSTIONES de Pœnitentia.

Prior pars de Virtute Pœnitentia.

QVÆSTIO LXXIII.

Vtrum dentur in voluntate habitus purè reflexiui?



IDEVR repugnare tales habitus in voluntate. 1. Quia ad eundem habitum pertinent actus omnes, qui sunt ex eodem motiuo. Actus autem directi, & reflexi sunt ex eodem motiuo.

Quod enim mouet ad amorem sui, simul etiam mouet ad amorem eius amoris. Nam quod mouet ad aliquid, necesse est, ut simul, ac indiuisim moueat ad omnia alia, quæ conferunt ad habendum illud. Sic sanitas mouens ad amorem sui simul mouet ad amorem pharmaci salutis, aliorumque omnium, quæ sunt necessaria, aut vtilia ad consecutionem ipsius sanitatis, & ita de similibus omnibus absque vlla exceptione. Amor autem reflexus amoris directi confert ad habendum amorem directum utpotè inclinans, ac determinans in genere causæ formalis ad illum eliciendum. Eadem est proportionalis ratio de odio, directo, & reflexo. Ad eundem igitur habitum voluntatis, ad quem pertinent actus quilibet directi, pertinent etiam actus reflexi, qui versantur circa illos, ac proinde nullus datur habitus in voluntate purè reflexiuus, seu cuius omnes sint reflexi, nullusque possit esse directus. Manifestum siquidem est actus omnes procedentes ex vno, eodemque motiuo, ad vnum, eundemque habitum pertinere.

2. Impossibile est aliquem esse promptum, & facilem ad amorem amoris amici sui ex. gr. quin eo ipso sit promptus, & facilis ad amorem directum eiusdem amici. Quia vnde habetur promptitudo, & facilitas ad primum, habetur etiam indiuisim promptitudo & facilitas ad secundum, utpotè inseparabiliter coniunctum cum illo. Habitus autem voluntatis nihil est aliud, quàm promptitudo, & facilitas ad actum aliquem difficilem ex se, impossibile igitur est dari in vo-

luntate habitum ad actus aliquos reflexos, qui non sit simul habitus ad actus directos, circa quos versantur illi reflexi.

3. Si daretur in voluntate aliquis habitus purè reflexiuus, ac impotens elicere vllum actum directum; sequeretur processus in infinitum in habitibus voluntatis. Quia voluntas sicut potest reflectere suprà primos suos actus directos, ita potest reflectere per alios rursus actus suprà priores actus reflexos, & sic in infinitum. Ergò si daretur in voluntate habitus, specialis primò reflexiuus; daretur etiam eadem ratione habitus specialis secundò reflexiuus, & sic in infinitum. Consequens autem est absurdum vniversaliter in omni genere rerum permanentium.

4. Si admitteretur in voluntate aliquis habitus purè reflexiuus; totidem ut minimum admittendi in eadem essent habitus purè reflexiui suprà actus aliorum habituum, quot sunt habitus directi circa obiecta adæquatè distincta ab omni actu voluntatis. Quia actus tam boni, quàm mali pertinentes ad vnumquemque habitum directum habent singuli suam peculiarem bonitatem, & malitiam, suntque proinde capaces ad terminandam peculiarem circa se, reflexionem, & consequenter ad terminandum peculiarem similiter habitum purè reflexiuum; si quis est possibilis habitus purè reflexiuus. Est autem inaudita apud authores, ac planè incredibilis, proptereaque nullatenus admittenda tanta specifica multiplicitas habituum purè reflexiuorum. Nullus igitur talis habitus est admittendus in voluntate.

Art. 1. Respondetur. Habitus voluntatis sunt circa bonum difficile. Nam ut dicit Phil. 2. Eth. c. 3. Virtus est circa honestum difficile, & consequenter vitium est circa delectabile, aut vtile difficile. Omnis autem habitus voluntatis est virtus aut vitium, omnis igitur habitus voluntatis est circa bonum difficile. Vnde habitus voluntatis multiplicatur specie iuxta multiplicatam specificam boni difficultis. Nempe quæ sunt ad aliquid, sunt multiplicabilia specie secundum multiplicatam specificam eorum; ad quæ ordinantur; siquidem ad ea ordinantur secundum rationem cuiusque propriam, ac peculiarem, uti ordinantur habitus ad sua obiecta.

Art. 2. Datur autem peculiaris ratio specifica boni difficultis, fundata in actibus directis habituum, qui sunt itidem directi, distincta specificè ab ea ratione boni difficultis circa quam versantur iidem actus directi. Est enim specialiter bonum, & specialiter difficile ex. gr. diu permanere in adhæsiōe ad bonum difficile. Est quidem id specialiter bonum. Primò quia continet in se imitationem peculiarem immutabilitatis diuinæ, quæ imitatio non inest adhæsiōi ad bonum considerata secundum se præcisè, & præscindendo ab eius diuturnitate. Secundò, quia specialiter laudatur, qui permanenter adhæret honesto, quo vsque ratio dicat, seu quo vsque honestum est. Tertiò à pari, quia specialiter delectat, ac prodest adhærere permanenter delectabili, & vtili dum manet in ratione delectabilis, ac vtilis. Postremo quia totum distinguitur specie à singulis suis partibus, tametsi omnes partes sint homogeneæ, ut patet in numero constante ex vnitatibus, & in numero maiori ex minoribus numeris conflato. Diuturnitas autem est totum quoddam constans ex singulis partibus durationis, qua durat vnaquæque res defectibilis. Ob istas igitur rationes est specialiter bonum permanere diu in adhæsiōe ad bonum difficile.

Art. 3. Est autem idipsum specialiter difficile. Primum propter vertibilitatem arbitrij humani, de cuius vertibilitatis ratione est, ut ingerat peculiarem difficultatem vniformitati diuturnæ circa difficile. Deinde propter dependentiam animæ à corpore. Quia corpus subest impressioni agentium dependentium à motu, & aspectibus diuersis Cælorum, & insuper est præditum qualitatibus

qualitatibus inuicem contrariis, quatum proinde est continua inter se pugna cum vicissitudine victoria; atque ex utroque capite diuersimodè affectum pro diuersis temporibus, disponit, ac impedit animum ad assimilem diuersitatem, ac per consequens reddit specialiter difficilem constantem eius uniformitatem circa quoduis difficile.

Artic. 4. Itaque habitus voluntatis intentius diurnitatis vniformis in adhaesione ad bonum difficile, idque propter ipsam bonitatem specialem durationis diurnae, est specie distinctus ab omnibus habitibus intentius boni difficultis secundum se, & propter solam illius in se bonitatem, praescindendo à bonitate speciali durationis diurnae in actibus eorundem habituum, aut volendo eandem durationem diurnam solum, vt obiectum materiale. Idem autem habitus intendens ratione sui, diurnitatem actus praexistens, est purè reflexiuus, quia nullum potest elicere actum, qui non feratur reflexè supra actum alium: impossibile siquidem est velle diurnam durationem alicuius actus quin sit volitus illiusmodi actus ipse duraturus diu. Eadem porro est ratio de aliis habitibus, quorum motuum adaequatum fundetur in actibus voluntatis pro vt distinctis ab ipsorum obiecto, & à perfectione quae habetur ex eodem obiecto secundum se. Dantur igitur in voluntate habitus purè reflexiuus in sensu explicato, & vterius manifestando multò magis ex dicendis, ex quibus etiam patebit necessitas, & vtilitas huius doctrinae praambulæ pro scopo quaestionum praesentium.

Ad 1. Conceditur, quòd benè probat argumentum, actum quemlibet directum posse esse obiectum materiale reflexè volitum per actum reflexum procedentem ab eodem habitu, ad quem pertinet ipse actus directus; ideòque necessarium non esse habitum peculiarem purè reflexiuum ad volendum reflexè actus directos secundum se, & secundum totam bonitatem identificatam adaequatè cum iisdem. Ceterum id non probat dari non posse specialem rationem boni difficultis fundatam essentialiter in actibus directis, iisdemque superadditam ex peculiari aliqua circumstantia, & amabilem propter se simul cum iisdem actibus directis. Quale bonum dictum est esse ex.gr. diurnam durationem actus. Non igitur probat repugnare in voluntate habitus purè reflexiuos vniuersaliter, & à toto genere.

Ad 2. Quicumque est promptus, & facilis ad amorem aliquem reflexum efficacem, est utique promptus eo ipso, & facilis ad actum directum, qui terminat illum reflexum. At non conuertitur facilitas haec, & promptitudo ab actu directo ad quemlibet amorem reflexum ipsius, ex quouis alio motiuo conceptum. Fieri namque potest, vt quis sit facilis ad opera pietatis, & misericordiae, aut studij, atque similibus, & nihilominus non sit facilis ad perseverandum in illis quantum dicat recta ratio, & consequenter nec sit facilis ad concipiendum amorem reflexum efficacem, supra priores illos actus, ex motiuo diurnae durationis in ipsis, conformiter ad rectam rationem. Non igitur superfluit, sed est valde utilis, ac necessarius habitus peculiaris adaequatè reflexiuus, qui feratur ad eosdem illos actus formaliter, vt affectos ea circumstantia durationis diurnae, idemque dicitur de aliis eiusmodi.

Ad 3. Habitus reflexiuus exhibens munus aliquod peculiare circa actus aliorum habituum, necesse est, vt eodem munere fungi possit circa actus etiam proprios. Ex eodem namque motiuo, ex quo quis vult perseverantiam ex.gr. in actibus aliarum virtutum potest etiam velle perseverantiam in perseverando, & sic de similibus vniformiter reflexionibus sine fine. Quia adest eatenus eadem specifica ratio

bonitatis circa proprios, & alienos actus. Vnde nullus est locus processus in infinitum quoad habitus reflexiuos.

Ad 4. Datur quidem in quouis actu bonitas aliqua diffidens specie à bonitate obiecti, à quo ipse specificatur; ideòque quilibet actus directus potest terminare actum reflexum distinctum specie ab ipso actu directo. Ceterum nullus est actus directus, cuius secundum se praecisè amor reflexus sit difficultis difficultate diuersae speciei ab ea difficultate, quae inest ipsi actui directo. Quia cuiuslibet actui est essentialiter, vt superet per se ipsum omnem difficultatem, quae potest retardare voluntatem quominus eum eliciat. Manifestum autem est in volendo reflexè elicere actum aliquem directum, si nihil praeterea aliud interponatur, nullam posse esse difficultatem diuersam ab ea quae est in eliciendo liberè eodem actu directo. Omnis namque difficultas volendi opus, seu internum, seu externum consistit adaequate in difficultate eiusdem operis secundum se, quandoquidem ipsum velle ex conceptu suo essentialiter est quidem placens voluntati, ideòque summè facile ex se praecisè, & praescindendo à difficultate obiecti. Necessè igitur est, vt habitus quilibet purè reflexiuus versetur circa rationem peculiarem boni difficultis vniuersalioris, & non mutuo conuertibilis cum actibus, & obiecto cuiusque habitus particularis directi. Quae autem sunt ad aliquid vniuersalius, non possunt tantumdem multiplicari atque ea, quae sunt ad minus vniuersale, aut ad singulare. Non ergo sequitur inconueniens intentum.

QVÆSTIO LXXIV.

Virum detur habitus purè emendatiuus, ac deletiuius peccatorum praecedentium?

Videtur nullus talis habitus dari posse. 1. Quia ad eundem habitum pertinet praecavere malum, antequam eueniat, & idem reparare, postquam euenierit. Ab eodem namque motiuo mouetur voluntas ad vtrumque; quandoquidem existentia mali, & eiusdem perseverantia opponuntur eidem bono, eodemque prorsus modo. Igitur habitus emendatiuus, ac deletiuius peccati postquam commissum est, necessariò est indistinctus ab habitu impeditiuo peccati, ne existat. Et consequenter emendatio, ac deletio totius collectionis peccatorum pertinet ad totam collectionem habituum, quibus continentur omnes vniuersim virtutes; nullusque praeterea est necessarius, aut etiam possibilibus habitus peculiaris purè emendatiuus, ac deletiuius, seu qui simul praecautius non sit, atque impeditiuus peccatorum.

2. Impossibile est voluntatem inclinari, ac determinari aliquo motiuo ad dolorem, & odium de aliquo malo, quin eodem motiuo inclinetur, ac determinetur ad amorem, & gaudium circa bonum oppositum. Quia omne odium, omnisque dolor de malo, fundatur in amore boni oppositi; atque motiuum amoris, cum est praesens, causat gaudium; sicut causat desiderium, cum est absens, vnde fit, vt sicut amor, desiderium, & gaudium, sunt circa idem, vt praesens, vt absens, & vt praescindens ab absentia, & praesentia; ita etiam sunt, simili modo circa idem, odium, timor, & dolor, seu tristitia. Impossibilis igitur est habitus, cuius motiuum possit tantummodo inducere dolorem emendatiuum, & deletiuum peccatorum praecedentium, & non etiam inducere valeat odium illorum praescindens à deletione, & praecautione, necnon timorem praeseruarium à peccatis.

3. Habitus